

99
AKos

78 L 1637 [40]

St. 250.
M.

PERIANDRI
ΜΕΛΕΤΗ ΤΟ ΠΑΝ,
S.
MEDITATIO
DE
PRIMA PHILOSOPHIA,
HOC PROGRAMMATE EXPLANATA,
QVO SIMVL
IN PALÆSTRAM ORATORIAM
LOCO CONSVEΤO D. XXI. DEC. HORA X. APERIENDAM
MÆGENATES, FAVTORES
OMNESQVE MANSVETIORVM MVSARVM ÆSTIMATORES OFFICIOSISSIME
INVITAT
SAMVEL WALTHER, G. M. CONF.

MAGDEBVRGI, LITERIS MVLLERIANIS, IN AVREO A B C.



Kapsel 78 L 1637 [40]

X 3047848

AK



Herodotus,
Laertius,
Stanlejus.

* erat ex He-
raclidarum
genere.

HElleboro digna inter septem Sapientes exitisse capita
& Periandri & Cleobuli vita moresque luculenter
demonstrant. Et Periander quidem licet summo lo-
co esset natus, principatumque apud Corinthios * ob-
tineret; tantum tamen absuit, ut vitam ageret sua
persona dignam, ut potius asperi patris insisteret vestigiis, & ad
matris incestum ac Thrasymbuli furias conversus caede, rapinis, in-
juria, fraude ac versuta insania publica & privata pollueret omnia,
ipsamque urbem florentissimam & totam viciniam Lemnia infesta-
ret manu. Nihilo tamen secius sapientum choro *εὐρυβατισμοῦ*
ille audacter se studuit ingerere, ac partim sententiis pro more per
Graciam sparsis, partim vi ac potentia tantum efficere se posse cre-
didit, ut sapientibus jure annumeraretur. Ego insulsum illum
Græculum Anticyras navigare jubeo, ad dicta ipsius (quæ tamen
aut Anacharsidi, aut Diocli forte extorserat) conversus, inter quæ
illud: *Μελετη το παν* ** primas tenere videtur, meumque animum
semper in admirationem rapuit. *** Nihil sane illo est conveni-
entius, si aut vitam & mores, aut studia philosophiæ spectes. Cum
tota enim rerum natura ad Meditationem & studium sui invitat,
tum Natura maxime Humana. Rectius ergo sibi consulunt, quæ
in ea cognoscenda Claramontios, Huartos & Tuldenos sequuntur,
quam qui aut Porticum, Lycæum & Academiam unice colunt, aut
contemplatione, disputationibus & bello philosophiam absolvunt,
aut plane eam spernendam putant. Est enim ut dixi, cardo Philoso-
phiæ Naturæ cognitio, & Socraticum illud: *γνωθι σεαυτον*. Ego vero,
qvi

** Meditatio
potest omnia

*** Cætera
dicta v. apud
Laertium,
quorum au-
ctores hoc
teste voluere,
ut Periander
discretus sape-
re.

qui omnia ad religionem, Theologiam & vitam refero, ex innumerabili rerum copia quædam collegi, ut declararem hac Meditatione, quam necessariam ad hoc centrum ducerem peripheriam istam philosophicam.

P. I.

1. Philosophandum, at sobrie & sine præjudiciis.
2. Una est Natura, una etiam quanquam gradibus distincta veritas.
3. Theoreticæ scientiæ, licet usum habeant in vita præstantissimum: nulla tamen melior est & prior *COGNITIONE SPI IPSIUS*.

4. Natura enim est nobis insitum felicitatis desiderium. Veram qui studet, non in sola *Veri* sed & *Boni* cognitione est occupatus. a)

5. Bene igitur philosophari nihil aliud est, quam *remotè subtilibus scientiam Boni, Utilium, Naturæ, rerumque, que ad felicitatem pertinent, comparare*, eaque facultas dicitur solida eruditio & sapientia. b)

„ Ex quo patet, quis sit stultus, quis sapiens, quid utile & inutile in disciplinis.

6. Noli jam quærere, an sit philosophandum? c) Multo minus, an Philosopho opus sit Pythagoræ, Stoicorum, Platonis & Aristotelis placitis. Non enim detinetur hæresi quadam, sed ipse omnia iusta prosequitur meditatione. Quæ autem Veteres dixere ad Naturam pertinentia, ea tanquam flores colligit, ab uno non diversa.

7. In omnibus cultarum gentium scholis Natura signavit multa unicæ veritatis vestigia; sed opinio iis intulit pestem, ingeniaque periculossimis corrupit præjudiciis.

8. Inter ea hæc maxime eminent: I) *Contemplationem esse summum Naturæ Bonum*. II) *Virtutis studium esse in hominis viribus & potestate situm, & per rationem inchoari*. d) Quibus si addas errores de *Deo & Fato*: habebis triforem veterum scholarum Chimeram: SOPHISTAS, PELAGIOS, SPINOSAS.

Græuer.

a) Unde Tullenus inter virum literarium & meliorem magnum discrimen statuit L. 4. 4. de Cogn. sui.
b) Sap. VII.

c) Quid Paulus Col. II, 8. rejecerit, in Hist. Phil. explicatur.

d) Alterum fuit venenum phil. practicæ, centrum veræ religionis semper oppugnavit alterum.

e) quam vocabant medicam i.e. minoris momenti. Grav. ad off. Cic. I. 3.

f) das heisset man communiter philosophiren. Man hat in allen Seculis gemeint, man könne nicht leben, vvo man das nicht thäte.

g) Tribbechov. tr. de schol. c. 2.

9. Ecce veterum imprudentiam in cognoscenda Natura. Causa est, quod Boni & Mali fontem ignorabant; unde philosophiæ activæ e) præferebant cognitionem rerum subtilium, easque inter nebulas Deum amittebant hominum finem. Hinc nata eruditio

Falsa, Inutilis, Rixosa, Subtilis.

10. Utinam intra Christianorum septa nunquam pervenissent ista trita. Verum hæc est multorum levitas, ut frequenter eant in doctam Græciam, sed famulatum; ut parcant Auctoritati, sed ingeniorum tyranno; & in vinculis teneantur a Metu, libertatis peste. f)

11. Age considera illos, qui infano lati sunt fucata philosophiæ studio, nonne ipsis male convenit cum sanctis viribus? Aspice Scholasticorum eruditionem, eorum examina Encyclopædiam, sed & steriles luge avenas, quæ penitus copiosam sapientiæ suppresserant messem. g)

„ E. corum effatum, Theologiam ibi inseperere, ubi desinat philosophiæ, quanti est ponderis?

12. Mittamus viam istam regiam. Fontes quærendi limpidiore & Naturæ vestigia. HOMINES SVMVS. E. felicitatis nostræ causa *Humana* pervestigemus, quo rectius *Divina* intelligantur.

13. Omnes disciplinæ aliquam hujus felicitatis partem digito quasi monstrant. Non possent, credo, hoc facere, nisi aperirent Naturæ recessus.

14. Ex quo sequitur, *Meditationem de Natura nostra* institutam esse proprium Philosophi munus. Quare ad præstantissimam convertitur facultatem, *PHYSIOLOGIAM ETHICAM*, quæ infiniti est usus, quove omnia tendunt eruditionis capita.

15. Hic non inhæret inveteratæ doctrinæ, quæ ex hominis *Nobilitate & præstantia* philosophiam derivat; sed illi insistit viæ, quæ oculis ejus exhibet *MISERIAM HVMANAM*.

„ Iste error stabilit contemplationem, factum & Pelagii commenta, docente Hist. phil. quem prolixè refutavit Buddeus in præfat. Tuldeni de Cogn. sui.

16. *Homines nascuntur rerum omnium rudes*. En natales Eruditionis. *Ruinas præ se ferunt*. E. quid disciplinarum sit proprium, apparet. *Ægrotorum instar habent*. E. Philosophus Medico-

dicorum modo disciplinas absolvit Physiologia, Nosologia, Semio- h) C. Placcius
tica, Hygiene & Therapeutica. h) tr. de mor.
scient. au-
gend. p. 228.

Quantum sc. ratio & meditatio permittit. Nam in iis, quæ solius sunt Evangelii,
turbatores minime sequitur Puccios, Herbertos.

17 Christiani feliciter philosophantur, quam alia gentes. O- i) E. g. ex Ju-
racula enim divina miseriae humanae certissima pandunt principia. re naturæ;
Cæterum ex philosophia multa ubique afferunt *αποσπασματῶν*, i) Gentium, Lo-
disciplinas ipsas relinquunt philospho. gica; Ethica,
Politica,
Oeconomia.

18. Quæ enim sacri vates ex rationis lumine petivere, ista in
campo constituta sunt philosophico. Quid igitur philosopho in-
cumbit faciendum? *Naturæ H. statum cognoscere, omnia separare,
& quasi ἀνασπῶν, rerumque nexum exhibere & utilitatem*, hoc de-
mum est sapientis philosophi.

„ Hoc urget vita civilis, christiana, & sacrae literæ, quæ de Philosophi laboribus
& inventis recte judicant.

P. II.

19. Ut vero homo potest vocari Microcosmus: ita ejus partes
& facultates inspicere cardo est anatomia philosophica.

20. Ad MENTEM quod attinet, quomodo constabit de Ra- k) Hæc ena-
tione (*sana*, k) nisi accurate consideretur *corrupta* & *mentis ἀταξία*? tura tolli ne-
Caput igitur est, ut examinetur Ingeniorum, Imaginationis, Sen- quit, alioqui
suum, Idearum, Judicii & Memoriae natura, vires, diversitas nec enim vacilla-
ret sensus
non vitia morbi & corruptelæ; præterea Errorum causæ, Igno- communis &
rentia oceanus, Præjudiciorum vortices, Voluntatis & vitiorum assensus &
principiorum
in mentem impetus & dominium l); cogitationum item longi usus.
tractus & varia genera, quæ in iis, quos Christus cum Spinis, Via l) Voluntas
est errorum
& Saxo comparat, necessario diversa apparent. genitrix Gen.
8, 21. Matth.
9, 4. C. 15, 19.
Ephes. 4, 21.
Plato de Leg.
5, 8. Cic. 1.
Par. 21.

21. In MORIBVS consideranda radix malorum Philautia prava,
Voluntatis tyrannis, sanguinis natura & inde oriens propensionum
diversitas, Appetitus sens. impotentia, perturbationum deformitas,
varia hominum studia, vitia splendida, fallax Bonum, m) bruto-
rum stultitia, callidorum fucus, Voluptatis, Ambitionis & Avaritiæ
officina, varia hominum desideria, labores, curæ, officia erga De-
um

um, seipfos & alios, Naturæ fraudes & fallaciæ, impedimenta boni, signa latentium propensionum, ratio atatum, consuetudinis, statuum, seculi, fortunæ, factorum, & quæ sunt ejus generis.

n) Est enim imprudentia ejus filia.

o) certum est multorum laudari studium, honoris opum, multorum comitatem, magnificentiam, humanitatem & honestatem, qui tamen plebejam olent stultitiam.

p) Quid ? quod & tum demum studiorum catena. Sap. VII. 14-20. exhibita usum habere incipiet. q) de Leg. 5. 3. r) de quo Sap. 7. 15. s) hoc enim absolviuntur, libri vulgares Ethici, qui interna spernunt, in externis hærent. t) Quorum philosophia in doctrina de S. B. errat, eorum cetera omnia sunt lubrica, male coherentia, & naturæ adversa.

22. Præterea ACTIONES externæ, unde homines πολυτρομοι dicuntur, testes sunt miseriæ innatæ. n) Atque ut facile se produnt tyranni, leones, canes, fures, veteratores, injusti, satyri: ita occultius multo agunt obliqui. Clavem autem præbeant *Consilia* & felicitatis studium. Hic vero omnia ad vanitatem & lucrum natura tendere experientia docet. Nihilo minus ob otiosum finem temperant virtutes, decorum, amicitias, sermonem, pacta, conventus, quin ipsam religionem & pietatem. Hinc Machiavellus habet, quod suadeat & præcipiat; hinc falsa status ratio resultat; hinc conjuges, liberi, cives, domini, servi aut callide aut inepte peccant. Quo magis observandum, quid vitii habeat hoc temperamentum, quid sibi velit conservatio sui, rerum electio & fruitio, simulatio, accisimus, colores, laus, vituperium, judicium, fama. o)

23. Sunt multa alia, quæ partim ad corpus partim ad animum pertinere philosophi ostendunt, hoc loco non memoranda. His vero, quæ dixi, recte in examen vocatis, ad optimas doctrinas fiet progressio. p)

24. Cui enim Cognitio sui facta est eruditionis magistra, næ ille ad centrum & scopum pertinentia sectabitur, nec promiscue omnium scripta, nec philosophos omnes pensi habebit.

25. Nam mentis qui novit vitia, quid ille Vasquetios & Suarezios audiat? Primas tenebunt veritas solida & utilis, opinioniones non monstrosæ, Meditatio sana, axiomatum evidentia, & quod maximum est, veri cultores erunt *bonesti* atque *fidi*, ut jam Plato observavit. q) Atque hoc est feliciter cogitare. r) Cui rei porro manus præbebit *Historia philosophica*, quæ acta exhibet philosophorum, verique & falsi ortum & progressum.

26.) Morum qui naturam est scrutatus, non sibi propinari patietur Stoicorum placita, & decorum aula Alexandrinæ s) non illas nantias de S. B. civili theoretico & practico; sed longe meliora de summo Bono, de virtutibus & vitiis, aliisque de rebus sectabitur. t)

27. Labyrinthum quoque actionum humanarum qui inspexit, non tam de politica architectonica, de principum aula, de legatis mittentis & civitatibus condendis, quam de prudentia, de Spe & Metu, de officiis hominis & civis, deque toto Jure Naturæ, ex quibus tamen priora fluunt, erit sollicitus, & cum speculo animorum Grotios & Puffendorffios sibi habebit commendatissimos.

P. III.

28. Hæc sunt aliqua philosophiæ, cujus dignitatem multi ridet, capita, u) tam ad Theologiam quam ad vitam necessaria.

29. Et Theologia quidem, si hisce careat; non constabit de pondere της μετριοτητας, de discrimine Naturæ & Gratiæ, de natura Gratiæ imitatrice, & sexcenta alia erunt ignota. Quid? quod nulla pagina, si mysteria excipias, recte poterit intelligi, & emphatice aut αναλυτικως ponderari.

30. Nec vitæ communi, moribus, decoro, amicitia, œconomia & singulis statibus recte poterit consuli.

31. Mentis cognitionem si habuissent Megarici, Eristici, Sophistæ; artem cogitandi non convertissent in palastram disputatoriam, nec Græcia excogitasset S. B. Theoreticum, nobis periculofum.

32. Si miseriam H. inspexissent Pelagius, Socinus, alii: non intulissent suas & veterum scholarum fordes veræ theologiæ.

33. Non vigeret falsa illa religio prudentum; nisi qui rationi blandirentur.

34. Nec forent Enthusiastæ, si imaginationis lusus omnibus essent noti.

35. Cessarent bella & morositas eruditorum, si loco sectæ Natura commendaretur.

36. Nec tantum passa esset Evangelii doctrina, nisi Plato & Aristoteles semper essent dominati. x)

37. Nam si in scholis & ludis literariis aliquid fuit desideratum, hoc fere est, quod in trivio & quadrivio non fuit inventa una illa via, quæ fert ad Naturam.

u) Multi, qui nesciunt philosophiam esse theatrum Naturæ, eam spernunt, nam partim communis phil. imbecillitatem vident, partim meliora non sunt docti, unde de plane hærent & cavillantur.

x) Die δοξασισοφια, davon Reimm, H. L. II. 125, vvar so hoch gestiegen, daß die Reformatores von den Papisten nur Grammatici, und also das neue Licht des Evangelii ein Grammatical, Wesen geheissen vvrurde, Maimb.

Hist. Calv. p. 10, sq. da doch diese vervorfene Gramm. nichts anders ist, als Evangelii doctrina und in specie vvas in Aug. Conf. hernach verfasst worden. Da nun diese Interpretatio Gramm. endlich in symbolische Bücher unfer Kirchen verwandelt, die das Ansehen einer theopneustix secundaria haben. (v. Hutter.) so können vvir leicht sehen: vwie Grammatica sey ein Fundament der Evangel. Protestirenden Religion, und vvir sich über diese rhesin, die neulich in Jubileo vorgefallen, niemand aufhalten. Viel leicht vvir hiervon künftig ein mehrers gesagt vwerden. y) de van. scient. z) 34. 12, 13, 14.

38. Si domi semper habitassent docti, non foris: plus vitæ quanti cathedræ florisset studium. Et quid multa? Unde tot navibonorum alioqui virorum, quorum gravitatem & constantiam omnium oculi expectant?

39. Atque ut summatim dicam, dupliciter omnis fere (de plebeis loquor) turba philosophorum peccavit. Aut enim altius ascenderunt Magnifici quidam, summa ima rimantes, aut humilia amplexi sunt, Logodædali & *σπεριολογοι* facti. Utrumque genus hominum recte taxavit vox Socratis & Agrippæ. y)

40. Tantum valuit naturæ ignorantio. Valeat igitur *πειρηγίας* studium, cui scitum illud Siracidis apponimus: z) *Da ich noch im Irrthum war: kont ich auch viel Lehrens, und war so gelehrt, daß ich nicht alles sagen kont. Und bin oft in Gefahr des Todes darüber kommen, bis ich davon erlöset worden bin. Nun sehe ich, daß die Gottesfürchtigen den rechten Geist haben.* Sed hæc hæctenus.

* * *

De reliquo, cum Periandri natura, consilia, morosophia, imaginatio & fata speculum aliquod exhibeant imprudentiæ humanæ, licet ipse meditationem commendaverit: aliquot juvenes inde occasionem arripuerunt publice verba faciendi. Igitur

I. JO. CHRIST. SCHRADER, Germersleb. Magd. dicit de Periandro & Cæsare Borgia, Pr. Germ.

II. DAVID KÖPPEN, Oscan. Halb. de Thrasymbulo & Machiavello P. G.

III. JO. FR. RHODE, Wandsl. Magd. de fraudibus circa sapientiam Pr. L.


IV. J. G. W. M. partes suscepturus JOACH. de MANDELSLO, de ellychnio in conviviis Periandreis adhibito. Pr. G.

V. LEBR. LVD. de BORNSTEDT, Steinbeck. March, de Sapientum & Alex. Severi nota censoria. C. G.

VI. CARL HENR. FVHRMAN, Magd. de Meditatione practica, sermonem habebit, Pr. L. finem actui impositurus.

Adeste igitur, Mæcenates, Fautores, Amici, vestraque præsentia si per labores licet, horum conaminibus annuite. Magd. a. d. XX. Dec. MDCCCXIX.

F I N I S,



Farbkarte #13

B.I.G.

1637 [40] St. 250

RIANDRI
 EATH TO PAN,
 S.
 EDITATIO
 DE
 PHILOSOPHIA,
 AMMATE EXPLANATA,
 QVO SIMVL
 LÆSTRAM ORATORIAM
 D. XXI. DEC. HORA X. APERIENDAM
 ATES, FAVTORES
 MVSARVM ÆSTIMATORES OFFICIOSISSIME
 INVITAT
 WALTHER, G. M. Conr.
 IS MVLLERIANIS, IN AVREO A B C.



278L 1637 [40]

47848

AK

